Bayerische Staatsbibliothek

München 2 NO, den 11. MAI 1938
Ludwigstraße 23

An

die Preuss. Staats Bibliothek

in Berlin

senden wir d.in am .... hierher geliehene n

Werk n / Handschrift (30 Bde.) mit bestem Dank zurück. Wir ersuchen,

den ausgestellten Empfangsschein zu vernichten. / uns ~~zurückzustellen~~.

z klocka: llc 4152

1. Consilium de pace
1b responsum
2. Aphorismi doctrinae Jesuitarum
3. Cyriacus Thrasymachus.
4. Instrumentum pacis Oliv.
5. Vorschläge des Königs
6. Schreiben des Königs an Kraustern

APHORISMI DOCTRINÆ JESVITARVM ET ALIORUM ALIQUOT PONTIFICIORUM DOCTORUM, QUA VErus Christianismus corrumpitur, pax publica turbatur, & vincla societatis humanæ dissolvuntur.

SUMPTI EX PONTIFICUM, JESUITARUM ET ALIORUM PONtificiorum scriptis, dictis & ex actis publicis.

16  08.

FRANCOFURTI.

Ad Lectorem

JEsuitarum & aliorum turbulentorum Pontificiorum doctrinas aliquot, quibus verus Christianismus fœdissimè corrumpitur, pax publica turbatur, & vincla societatis humanæ dissolvuntur, in forma brevium Aphorismorum, vobis ideo exhibemus, & ex istorum scriptis, dictis, nec nō ex actis publicis sumtas ostendimus. Quia nuper in publico conventu homines politici Romanocatholicæ Religioni addicti, cū nonnullæ ex his allegarentur, negarunt se tale quid à Jesuitis vel aliis Romanocatholicis D. D dictū, scriptum, audivisse, legisse: ut nempe viri illi boni, & alii, quibus hactenus non fuit curæ, inquirere, quam turbulenta, & absurda, defensores isti Pontificiæ Religionis doceant, partē illorū ex his Aphorismis, & illorū allegatis intelligant: proindeq; ab istis D.D. & doctrinis abhorreant, & eos diutius non tolerent. Rogamus itaq; omnes, qui hos Aphorismos legent, propter Christi gloriā & propriā salutē, ne Spiritū S. (qui haud dubiè in plurimorū legentium cordibus contestabitur doctrinas istas Verbo & volūtati Dei contrarias, & societati humanæ pernitiosas esse) contristent, nec in seipsis effulgens lumē, & igniculos ejusdem S. S. extinguāt, sed ut nobiscū veritatē agnoscāt, & amplectantur. Clementissimus DEus noster nos omnes, ipsos etiā Jesuitas, illorūq; commilitones, veritatis agnitione indies magis ac magis illustret & Christianā caritatē in nobis adaugeat, ut & in hac & futura vita omnes illum sincerè colamus & laudemus: illi Deo optimo Max. & fortissimo, Deo pacis & caritatis, sit omnis honor & gloria æterna Amen.

Index capitum & Aphorismorum.

Caput primum Aphoris.

1. *De numerosa Romani Pontificis potestate.*
2. *De immunitatibus & exemtionibus Ecclesiasticorum.*
3. *Papam non errare, etiamsi totus mundus erraret.*
4. *Sacram scripturam non plus probare, aut valere, quàm Potifici placet: hujus autem placita & decreta pro articulis fidei habenda.*

Caput secundum Aphoris.

1. *Pactiones Religionis invalidas esse, etiāsi juramento confirmatæ sint.*
2. *Sic nec pax Religionis in Imperio sancita valet ubi per vim extorta, & tantùm usq; ad publicationem Concilij Tridentini concessa.*
3. *Nunc ergo & Lutheranos & illorum fautores politicos, Romanocatholicos opprimendos, delendos eße.*
4. *Nisi fortè Pontificij majus incommodum metuant, sed id jam tentent: tunc enim secundùm nonnullos, tempori serviendum est adhuc, alijs contrà sentientibus, neq; amplius temporisandum esse urgentibus.*

Caput tertium Aphoris.

1. *Si Cæsarem, Regem, aliumve Principem subditi in conventu Tyrannum esse judicent, tunc illum opprimere possunt: si facultates conventus non dantur, tunc idem ex consilio virorum eruditorum & gravium licebit.*
2. *Subditi Lutheranorum Regum, sive Principum, soluti sunt omni obligatione, illosq; opprimere possunt, licet nihil tale in prima Christi Ecclesia factum sit.*
3. *Et veneno subditis permittitur, Reges & Principes, quos pro Tyrannis habent viri eruditi & graves, necare.*
4. *Papa omnium hæreticorum & infidelium regna, principatus & dominia Catholicis donare potest.*

Caput quartum Aphoris.

1. *Per æquivocationes hæreticos decipere permissum.*
2. *Imò etiam Catholicos Magistratus.*
3. *Multò magis Catholicos subditos.*
4. *Æquivocationes istæ pro bona prudentia habendæ, & rectè axiomate isto institui Principes:*

QUI NESCIT DISSIMULARE, NESCIT IMPERARE.

APHORISMI
DOCTRINÆ JESUITARUM

&aliorum Pontificiorum Doctorum, qua verus Chriſtianiſmus corrumpitur, pax publica turbatur, & vincla ſocietatis humanæ ſolvuntur,

Sumti ex Pontificum, Ieſuitarum, et aliorum Pontificiorum Scriptis, dictis, & ex actis publicis.

PRIMI CAPITIS
Aphoriſmus I.

PONtifex Romanus omnimodam habet & ſpiritualem & temporalem poteſtatem, jus mandandi, prohibendi, Banni ſeu Excommunicationis, jus item pœnarum, Electionis & Vicariatus Imperij, Magiſtratus quosvis inſtituendi, & deponendi; ipſos etiam Imperatores, Reges, Principes: ſic & in alios quosvis ordines illorũq; ſubditos, & hæc pro articulis Fidei habenda: qui verò iſta non probat aut non credit, is pro hæretico deteſtando habendus eſt. Bonifacius VIII. in c. unam ſanctam Extravag. de major. & obedient. dicit, utrumq; gladium & ſpiritualem & temporalem in poteſtate eſſe Papæ, & illo Reges, & milites tanquam ei ſubjectos ad nutum Papæ uti debere, quodq; Papa habeat inſtituere & judicare, an ſpiritualis poteſtas terrenorum ſit bona: quia ſcriptũ eſt Ierem. 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna. Papã autem à nemine judicari: quia ſcriptũ eſt: ſpiritualis homo judicat omnia: ipſe autem à nemine judicatur 1. Cor. 2. Et concludit ibi Bonifacius: *ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, pronunciamus, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Cum Bonifac. 8. concordant & præmiſsa Innocent. 3. in c. ſollicitè 6. de major. & obed. & in c. venerabilem 34. de Elect. & Elect. pot. Innocent. 4. in c. ad Apoſt. 2. de ſent. & re jud. in 6. Platina in vita Gregorij 7. antea dicti Hildebrandi pag. 67. ubi Gregorius ait, Agite Apoſtolorum Principes, & veſtra autoritate, quod dixi confirmate, ut omnes nunc demum intelligant; *Nos nos imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare poſſe.* Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 1. ubi plures allegat: & eod. lib 5. c. 6. cum ſeqq. Iſidorus Moſconius de Majeſtate milit. El. & frat. Bozius de temp. Eccl. monar. idemq; & in lib. de Jur. nat. & divin. Eccl. pot. paſsim. Alexander Poſantius Romanus in lib. de immun. Eccl. & pot. Rom. Pontif. quem nuper Paulo V. Pontifici dedicavit pag. 45.

Sylveſter Prieras in Epit. Reſpon. ad Luth. cap. 9. Romanus Præſul eſt Legum conditor, quæ ex ne-

cessitate salutis omnes afficiunt. In lib. Jesuit. Concertatio Ecclesiæ Catholicæ Trever. anno 1583. excusa, pag. 243. & seqq. & pag 267. dicitur, Pontificis autoritatem esse articulum fidei: & paulò ante, pag. 246. Papam habere potestatem quemcunq; Principem de principatu dejiciendi ejusq; sententiæ, si promulgatur, subditos Principũ obedire debere. Ideoq; traditur Imperatorē Pontifici in equũ assidenti stapedem tenere, & accepto freno, equũ per aliquot passus ducere, atq; in convivio manibus Papæ ad lotionem aquam ministrare debere. Ceremon. Ecclesiæ Rom. lib. 1. sect. 3. part. 1. fol 43. & sect. 5. part. 4. fol. 61. Imò & solùm Papam sine Concilio Imperatorem deponere posse, gl. & d. d. in c. ad Apostol. de sent. & Re. Jud. in sexto.

Pet. Ribadeneira Jesuita de Principe lib. 1. cap. 17 pag. 108. impressionis Moguntinæ de anno 603. Quicunq; Sacerdotis imperio non obedierit, morietur.

Baronius Cardinalis in Parænesi ad Venetos pag. 9. Colonien editionis; Crux antecellit aquilas Cæsaris, gladius Petri gladio Constantini & Apostolica sedes præjudicat Imperatoriæ potestati.

Aphorismus II.

E contra omnes Ecclesiasticæ personæ, Episcopi, Prælati, Sacerdotes, Monachi, Moniales, illorumq; temporalia bona, jura & reditus, à temporalium dominorum obedientia, mandatis, contributionibus & jurisdictionibus in personalibus, & realibus,

realibus, civilibus & criminalibus prorsus exemti, & privilegiati sunt. Nec vel Imperatori & Regibus, vel aliis Laicis Magistratibus parere tenētur: Cæsar autem Reges & Principes præcipua sua fortalicia Ecclesiasticis potiùs quàm Laicis personis custodienda concredere debent. c. nullus Judicum, 2. de for. compet. Ibi nullus judicum secularium Presbyterorũ, Diaconorum aut Clericorum ullum sine permissu Pontificis distringere aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia sequestratus manebit, donec reatum emendet c. si diligent. 12. eodem tit. Et Episcopi & Diaconi & quilibet Clerici, sive in criminali sive in civili negotio, seculare judicium non possunt subire.

Nec in contrarium illorum pactum aut juramentum valet, aut servandum est, idem. in C. seculares 2. de fo. comp. in 6. in c. Non minus 4. de immunit. Eccl. Laici prohibentur sub pœna excommunicationis, sive anathematis onera fossatæ expeditionis, seu alia quælibet bonis Ecclesiarum imponere: sed Episcoporum & Clericorum arbitrio permittendum an Laicorum facultates non suppetant, Idem in c. adversus 7. Eodem tit. Et in c. 1. & c. Cleric. 3. de immunitat. Eccl. in 6. ubi etiam Ecclesiasticis mandatur sub depositionis pœna, ut Laicis Imperatoribus Regibus, Principibus, Comitib. Baronib. civitatum Consulibus tallias collectas, nec sub adjutorii mutui aut subsidii, vel doni nomine, licet promissas, solvant.

Innocent. in c. sollicitæ 6. de major. & obedient. Papa

Papa à Deo constitutus est super gentes & regna, ut evellat & dissipet, ædificet & plantet: & quanta est inter Solem & Lunam differentia, tanta est inter Pontifices & Reges: etsi Episcopis reverenter assurgere debent. Et paulò ante Clemens III. in c. 4 eod. tit. de Major. & obed. Omnes Principes terræ & cæteros homines Episcopis obedire beatus Petrus præcipiebat 1. Pet. 2.

Baronius Cardinalis in Parænesi ad Venetos pag. 47. Senatum Venetum contra Sacerdotes, vel enormissime delinquentes: nullam, nullam habere Jurisdictionem: quia scriptum, Tu quis es, qui judicas alienum servum; Domino suo stat, aut cadit. Et Veneti contra facientes sunt instar monstri & portenti Luciferi. An nescitis, quia Angelos judicabimus?

Johan. Mariana Jesuita Toletanus in lib. de Rege & Regis instit. lib. 1. cap. 10 pag. 88. Princeps neminem ex S. ordine supplicio, quamvis merito, afficiat. Illius immunitates & jura intacta ut sint, curare debet: præstat enim scelera impunita relinqui, quàm hujusmodi immunitates refigi. Idem Mariana eodem cap. & lib. pag. 89. Vellem Episcopis firmissimas Principum arces in fidem tradi: & paulò ante; Respublica commodius à viris sacratis, quàm à prophanis, quales sunt urbium procuratores, remedium expectabit.

Franciscus Bozius Eugub. de temp. Eccl. Monarch. lib. 2. c. 5. pag. 264. Seculares rerum temporalium judicia ad normam & imperium Ecclesiasticorum exercere debent: Item, rerum etiam temporalium judiciis præficiendos magis dignos in Ecclesia: veluti sunt Sacerdotes, Episcopi: Sacerdotibus etiam regni gubernacula tradenda.

APHORISMUS III.

Licet Papa homo sit, attamen quia Vicarius DEI est in terris, (ob quam causam illi etiam divini honores competunt) errare non potest in negotiis fidem Christianam concernentibus, etiamsi omnes alii Ecclesiastici atq; adeò ipsa etiam Concilia errarent: ideoq; à Conciliis ad Papam, non è contrà à Papa ad Concilium appellari potest. Bellarm. de Rom. Potif. lib. 4. cap. 2. ubi post alios allegatos Doctores dicit, DEUM non permittere, ut Papa quicquam temerè definiat: qui enim promisit finem, hunc etiam media promisisse. Blondus lib. 3. Rom. instaur. Omnes Principes orbis terrarum Pontificem honorant & colunt ut SUMMUM DEUM.

A concilio ad Papam rectè appellari Joh. de Selua in tractat. de benefic. par. 4. p. 8. n. 28. Tractatuum tom. 15. par. 1. fol. 109. non à Papa ad concilium, Jacobatius de Conciliis lib. 1. art. 1. num. 36. Tract. tom. 13 part. 1. fol. 352. & art. 16. n. 26 fol. 220. Ut nec à Papa ad Cardinales, Manfrede Cardinal. deci. 391. cum Jacobatio contra Bartolum tom. 13. part. 2. fol. 105. Mosconius de majest. milit. Eccl. lib. 1. c. 1. par. 1. pag. 27. *Si totus mundus sententiaret contra Papam in aliquo negotio, standum tamen*

tamen esset sententia Papæ. Idem in glossa. C. Nemo judicabit, cau. 9. q. 3. in verb. Neq; ab omni Clero.

APHORISMUS IV.

In Romani Pontificis arbitrio stat Sacræ Scripturæ autoritas, interpretatio & mutandi jus: ecōtra Pontificis placita, tanquam ad fidem & salutem præcisè necessaria semper firma, valida & obligatoria sunt; Bulla Pij IV. super forma Juramenti profes. fidei. infi. Concil. Trid. pag. 359. editionis Venetæ de anno 1606. *Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia admitto.* & in sess. 21. Can. 1. Pag. 171. *Etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit: non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramq; speciem adstringantur*: & cap 22. Act. 23. pag. 172. & 173. *Est enim hæc Ecclesiæ potestas & autoritas, quod in Sacramentis statuere & mutare possit, quæ magis expedire judicat.* & pag. 174. Canon. 2. & 3. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, OMNES & singulos Christi fideles utramq; speciem Eucharistiæ sumere debere, Anathema sit: & si quis in eo errasse Rom. Ecclesiam dicat, Anathema sit.* Hosius de expresso Dei Verbo sub finem, *sacrā Scripturā nisi juxta sensum Ecclesiæ Rom. exponatur nō esse Dei expressum, sed expressū verbū Diaboli, SATANÆ verba esse per membra sua loquentis.* Sylvester Pryeras in Epitome Respon. ad Luth. cap 7. tom. 1. operum Luth. fol. 69. edit. Jenen. anno 1556. *Doctrinam Pontificiæ Ecclesiæ & Pontificis Romani esse Regulam fidei infallibilem, à quo Pontifice etiam robur trahit, aut traxit sacra Scriptura; & qui hoc non credit hæreticus est.*

De traditionum autoritate in Concil. Triden. Sess. 4. pag. 11. & 12. Petrus à Soto in defens. de uno Presbytero judice Eccl. cap. 33. Costerus in Apologia pro par. 1. Enchir. contra Gomarum, pag. 37.

CAPUT SECUNDUM

APHORISMUS I.

PRo invalidis & planè nullis haberi debent Imperatorum, Regum, Principum, aliorumq; ordinum constitutiones, pacta, conventa, capitulationes, fraternitates, concessiones, quibus alia Religio quàm moderna Romana Catholica indulgetur: etiamsi juramenta intervenerint. Jacob Simarcha Episcop. Pacent. de Cathol. Instit. In tract. tom. 11. par. 2. pag. 181. c. 46. Ubi post num. 25. dixit, se Lutheranorum nomine etiam Sacramentarios intelligere: post alia, num. 52. docet, ad hæreticorum istorum (Lutheranorum) pœnam & odium etiam pertinere, QUOD FIDES ILLIS data servanda non sit: (ut in concilio Constantiensi factum) non obstante juramento. Item cum hæreticis nullum commercium, nec pacem ullum esse posse: ideoq; *fidem illis datam, etiam jur. mento si mata, nullo, nullo modo servandam esse.* Sæpe addit id à nobis dictum: necesse est tamen incessabiliter itera i, & tam diu non taceri, quam diu pacis illud nomen obtenditur.

Cunradus Brunus de hæreticis lib. 3. cap 15 ponit quæstionem de tali pace Religionis, qualis est in Imperio ex conventionibus anni 1552. & 1555. an rata sint & valeant pacta, conventiones, leges, & rescripta, quibus hæretici pacem & securitatem impetrant, ut qui eos offenderit, fractæ pacis teneatur? Item, quibus permittatur, ut Ecclesias, Episcopos, Sacerdotes & Clericos habeant, Ecclesias reformare, Ecclesiarum bona possidere, administrare & dispensare possint: utq; Ecclesiastica Jurisdictio contra ipsos suspendatur? Et respondet, NON VALERE, CUM HÆRETICIS CATHOLICO NULLAM PACEM ESSE POSSE: & esse conditionē iniquam & blasphemiā qua hæreticis permittitur, ut dogmata sua doceāt. Et in fin. ejusdem cap. HODIE NULLA PAX RATA ESSE POTEST, quæ cum hæreticis ea lege contrahitur, ut offendi non possint: HORRENDAM ET ABOMINANDAM ESSE PACEM ea conditione initam: ut qui eos offenderint fractæ pacis condemnentur: econtra omnia divina & humana Iura illos extinctos velle.

Petrus Ribadeneira Jesuita de Principe lib. 1. postquam cap. 16. pag. 104. editionis Moguntinæ de an. 1603. Protestantes Principes, injuriosè Rebelles, & summè IMPIOS appellavit, (ut & socius illius Iacobus Sylvanus, aliâs Jacobus Keller Jesuita Ratisbonen. in nuper edita Philippica; eosdem Principes PERDUELLIUM appellatione diffamare non erubuit) subjicit cap. 17. & 18 Pa-

18. Pacem hanc religionis, quam politici nostri invexerant, quamq; Germani Lutheranæ factionis asseclæ sunt amplexati, & in Belgio nonnulli sibi concedi postulant, non indulgendam neq; ferendam.

Andreas Erstenberger, sive Franciscus Burchardus in Autonomia laudata à Jesuita Ribadeneira, part 3 C. 13. pag. 306. Martinus Becanus Jesuita Moguntinus in disp. de fide hæreticis servanda nuper anno 1607. Moguntiæ impressa cap. 10 p. 88. & seqq. libertatem sive pactionem illam Religionis, qua liberè permittitur esse Catholicum, vel Lutheranum, vel Calvinistam, OMNINO ESSE ILLICITAM, ET DIVINO PRÆCEPTO REPUGNANTEM; nec aliter quàm ALIQUO TEMPORE majoris damni vitandi causa tolerari posse. Imò hæc libertas potius (ait pag. 94.) à Catholicis OMNIBUS MODIS, quantum commodè fieri potest, IMPEDIRI ET PROFLIGARI DEBET. Nullus sit istis ministeriorum locus: sciant omnes etiamsi quid speciali rescripto, vel pacto ab hujusmodi hominum genere impetratum sit, NON VALERE. Sic Julianus Cardinalis Sanct. Angeli Ladislao Reg: Hungariæ & Poloniæ post pacis conventionem cum Amurathe initam, & juramento ad hostiam Sacramentalem firmatam, persuasit fidei datæ violationem: inania (inquit Julianus) fidei ac fœderis nomina & verba quædam inconsulta per spem, metumq; mutuo jactata esse, quæ fœderis

 nomen

nomen sanctitatemq; non obtineant juramentum interpositum ceremoniam tantum temerè jactatum fuisse. Eorundem Principum aliorum consensu bellum intermitti oportuisse, quorum ope auspiciisq; geri susceptum oportuit: et nedum fœdus cum hujusmodi hominum genere inire licuisse, sed & initum non tenere iniussu Pontificis Maximi. Ac postquam de potestate Pontificis multa præmisisset, subjecit tandem Pontificis Maximi autoritate se id fœdus, qualecunq; esset, rescindere & abrogare, Regemq; & cæteros, quorum intererat à juramēto & sponsione, quàm Turcis fecerāt, absolvere. Philippus Callimachus Florentinus (qui Romanocatholicæ religionis fuit) historiarum de reb. gestis Ladislai Regis Hungariæ lib. 3. Et Æneas Sylvius, qui idem post Papa Pius II. epist. 81. de principe lib. 2. cap. 17. & hanc perfidiam improbat, & causam maximæ cladis fuisse fatetur: suppressit tamen, quod Cardinalis Julianus autor illius perfidiæ & perjurii fuerit. Alter verò Jesuita Martinus Becanus in disp. de fide hæret. servanda c. 7. pag. 66. falsò allegat, à nonnullis Principibus Christianis Ladislaum ad violandam fidem & bellum redintegrandum sollicitatum fuisse. At non tantùm illis, quos hæreticos fingit Pontifex Rom. fidem non seruat, sed & domesticis fidei suæ. Nec longè exempla petantur; extant inter acta & recessus Imperii duo Maximiliani I. programmata, quibus conqueritur Julium II. Rom. Pontificem cum ipso Imperatore, nec non Regibus Galliarum & Ar-

& Arragoniæ de conjungendis armis contra Venetos pactos fuisse, & ne cuiquam cum Venetis absq; communi consensu pacem inire liceret, donec sua prorsus recepissent, sed Pontificem fidem violasse, cum Venetis ad partem transegisse & hanc violationem insignem PERFIDIAM & DOLUM vocat. Rectè itaq; Senator Venetus Dominicus Trevisanus cum. Leo X. à pactione Cameracensi resiliret, & Venetis pactionem offerre in Senatum dixit, (ut est apud Guicciardin. lib. 8. hist. Ital. pag. 264) si in hoc Pontifice Sacerdotalis fides non constantior quàm ferè semper in aliis fuerat, existeret, se minimè cernere, quæ cautio haberi possit, Pontificem Armino & Faventia adeptis, non & Cerviam & Ravennam repetiturum esse, NI DATÆ FIDEI MAIOREM RATIONEM HABERET, QUAM PONTIFICUM MOS ESSET, qui ut hunc morem suum tueantur, legibus sanxerunt, Ecclesiam suorum Antistitum promissis & contractibus contravenire posse.

Anno 1527. edita est Moguntiæ cum privilegio Cæs. pactio Caroli V. Imp. cum Clemente VII. contra Franciscum Regem Galliæ inita, cum responso sive querela eiusdem Imper. quod Clemens fidem non servasset, sed ejus violationem prætextu ad pietatem composito, tegere conatus fuisset. Ideoq; Carolum Imper. dixisse VOCEM ESSE JACOBI, MANUS AUTEM ESAU, & addidisse. TOTIES SIBI VIOLATAM FIDEM RUPTAq; FOEDERA. Item-

Item: CONTRA JUS ET ÆQUITATEM DATAM FIDEM PRÆSTITUMq́; JURAMENTUM VIOLATUM ESSE, CUM HUIUSMODI HOMINIBUS DEINDE TUTO CONTRAHI NON POSSE.

APHORISMUS II.

Pacem religionis inter Ordines Germanici Imperii conventam uti per vim extortam, non esse obligatoriam, imò & ad tempus tantùm concessam, dilationem moratoriam & tolerantiã fuisse, nempe usq́; ad Concilii Tridentini publicationem, quæ anno 1604 secuta est. Johannes Paulus VVindeck in deliberat: de hæresibus extirpandis, impressa Colon. cum gratia & privilegio Cæs. Majestatis. Anno 1603. in Respons. ad quartam objectionem pag 324. *Quod hac pacis formula Cæsar Protestantibus cavit, summa necessitate adactus fecit. Nam irruente tum in Austriam Turca, necesse erat omnes undecunq́; vires contrahere.* Ibidem VVindeck, *constat ex eo Edicto, Cæsarem pacem Protestantibus TANTUM ADUSq́; CONCILII TEMPUS, quo dissidium hoc sanari posset, concessisse.* Idem pag. 326. ubi, subjicit PROTESTANTIBVS TANTVM MORATORIAM DILATIONEM ET TOLERANTIAM CONCESSISSE VSq́; AD JUDICIUM CONCILII TRIDENTINI. Quamobrem mirari animum subit vecordiam Sectariorum, qui pro religione tuenda toties comitiorum Decreta contra nos stultissimè detonare & deblaterare solent. Idem VVindeck pag. 414. *Quod nonnunquam Catholici cum Sectariis transegerunt, eo fine fecerunt, ut interea reliquis negotiis expediti postea unum hoc bellum contra Sectarios administrarent omnemq́; ejus molem in ipsos converterent.* Andreas Erstenberger alias Franciscus Burchardus de Autonomia lib. 3. cap. 13. pag. 305. & seqq. Auffwecker der Geistlichen/ cap. 3. fol. 66. & 70.

APHORISMUS III.

Nunc itaq́; ad laborandum Pontificiis ubiq́; ut omnes hæreticos inprimis Lutheranos & Calvinianos illorũq́; fautores politicos illos Catholicos, qui potius pacem servare, quam auxilia ad hæreticorum oppressionem conferre malunt: ferro, veneno, pulvere tormentario, bellis & aliis machinationibus opprimant. Ribadeneira de Principe lib. 1. cap. 18. p. 117. & c. 26. p. 172. & seqq. Paulus Chirlandus de hæreticis. q. 3. num. 2. Symmach. instit. Cathol. c. 46 n. 45. & seqq.

Actio Henrici Garneti Jesuitæ per totum. Jesuita Cresuel. sub nomine Andreæ Philopatris cõtra Edictum Reginæ Angliæ Sect. 2. num. 157. ubi tradit, Principem qui à Catholica religione deflexit, excidere statim omni potestate, argumento ejus, quod Paulus 1. Cor. 7. dicit; si infidelis discedit, discedat, in hujusmodi enim casu non ligatur frater aut soror. Idem paulò pòst n. 160. omnium Catholicorum sententiam esse, obligatos esse subditos ad Principes hæreticos depellendos, qui fi-

dei Catholicæ injuriosi sunt, si modò vires ad hoc habeant idoneas. Et ibidem n. 162. subditi hujus modi Principes suos non tantùm legitimè possunt deturbare, sed etiam ad hoc præcepto divino & conscientiæ vinculo arctissimo ac extremo animarum suarum periculo tenentur.

Cardinalis Reginaldus Polus in Orat. ad Carol. V. Imperat. relicto bello Turcico, contra hæreticos bellum movendum. His enim compositis (ait) minori negotio reliqua aggredi ac perficere poteris. A Turca minus periculi imminet.

Conradus Brunus de hæret. lib. 3. cap. ult.

Johan. Paulus VVindeck de extirpat. hæret. Antidoto 10. pag. 404. & Antid. 11. pag. 408. Lutheranos, morbis, supplicio exterminandos, interficiendos, propulsandos, reprimendos, delendos, ustionibus & sectionibus exscindendos, tollendos, explodendos, viriliter extirpandos, trucidandos, internecione delendos.

Bulla Papalis, quam vocant Cœna Domini, quæ invenitur apud Mart. Navarr. A. pilost. tom. 3. pag. 269. & sumta est ex c. Excommunicamus 15. de hæret. Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei & nostra, quoscunq; Lutheranos, ipsorumq; Receptatores aut fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores.

Jesuita Cresuel. in prædicto responso pag. 109. Si Imperator vel Rex hæreticum favore prosequatur ipso facto, regnum amittit.

Stapletonus in Orat. contra politicos Duaci habita,

habita, quæ primum in inferiori Germania typis evulgata B. 10. & seq. ubi tales politicos hæreticis & Turcis deteriores esse dicit, quia armis & bellis Catholicismum propagare recusant. Et cap. ult. eos ut novos Diagoras & Protagoras, ex omnibus civitatibus pelli debere, ut veteres illos expulerunt Athenienses, proposita etiam mercede ei qui illos interficeret; in editione Bavarica, quæ nuper Monachio prodiit hæc inveniuntur pag. 15. & 24.

Baronius Cardinalis in epistola contra Venetos, duplex est (ait) beate Pater, ministerium Petri: *Pascere & occidere:* juxta illud: pasce oves meas: & juxta illud *: occide & manduca.* Quando enim Pontifici negotium est cum refractariis & adversantibus (quales sunt Veneti) tum jubetur Petrus eos mactare & occidere, atq; in viscera sua condere. Idem Baronius in sua Parænesi ad Venetos pag. 9. Restat Pater (Papa) ut exeratis in maleficos gladiū Petri, quem ad hoc constituit super regna & gentes Christus. Josephus Steffanus Valentinus D. Theologus in lib. de osculatione pedum Romani Pontificis ad Gregorium III. edito Colon. anno 1580. cap. 4. pag. 33. oportet, ait Paulus 1. Cor. 15. Christū regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus: cum hic locus Pauli Ecclesiæ potestatem exprimat, meritò reluctantes & contumaces hostes pedibus trahet, comminuet, proteret, atq; sub sua potestate subditas nationes coercebit, donec veneraturi, pro ejus dominatione & dignitate manus protendāt, & vestigiis oscula faciant. Quos omnes sua auto-

ritate confringit & conterit Ecclesia, vel glutiens in sua membra convertit: quia primo prædicatori dictum est, *occide & manduca*: Tunc mactat Petrus, cum impiorum reprimit conatus, gladii pœna trãsverberat, & colla furore turgentia pedibus contundit & comprimit. Johan Paulus VVindeck in delib. de hær. extirpandis pag. 452. & seqq. ad sectarios profligandos Catholicorum Principum, liga & consociatio requiritur, ut & Jesuita Cresuel ibidem dicit, ligam esse necessariam, & ex obligatione. VVindeck ante pag. 244. fœdus sive unionem in Gallia unitam, & anno 1587. publicatam, quam sacram ligam vocant, salutare consilium fuisse ait. 2. Deinde pergit VVindeck: nec negligenda est occasio, quando videlicet Protestantes pecuniis exhausti sunt. 3. Utq; facilius Catholici Sectarios opprimere posſint, variis adductis causis & artibus alios ab aliis ut divellant, occasiones captandæ: idq; à Carolo V. Imperatore observatum, magno suo emolumento 4. Sed externa auxilia Catholici sibi adjungãt ad subjugandos Sectarios: econtra ne hi exterorum suppetias sibi adsciscant, cavebunt.

Ex eadem hac Jesuitarum doctrina & pectoris Pontificii scrinio manavit proditoria illa, & immanis laniena Parisiensis contra pacificationem fide Regis firmatam, in qua supra triginta millia innocentum hominum, omnis ordinis, sexus, ætatis, intra paucos dies in domiciliis suis, vel ab iisdẽ extracti, fœdisſimè trucidati sunt. Quo spectaculo tum

tùm temporis Jesuitæ oculos & animos suos recrearunt: idq; Papa Romanus in suo palatio, ut & suos & Cardinalium oculos pasceret, depingendum curavit; Jacobus Augustus Thuanus præses Regius, historiarum sui temporis in historia anni 1572.

Hinc etiam manarunt conspiratio Guisianorum & sociorum anno 1587. in Gallia publicata, & quæ eam secuta sunt bella & regna ac Principũ parricidia. Ac à Jesuitis tunc temporis magno Zelo repetitus hæreticus error Johannis Parui Parisiensis damnatus jam dudum in Constantiensi Cõcilio, de necandis & loco movendis Regibus & Principibus, quos Theologi viri scil. eruditi & graves pro Tyrannis habeant, de quibus extant 6. tomi memorabilium Ligæ. Ideoq; Johannes Mariana Jesuita Toletanus de Rege lib. 7. cap. 6. id decretum Constantiense non probat, quia non inveniat probatum à Martino V. aut Eugenio Pontificibus, & quia tricipiti Pontificum disſidio concilium illud celebratum sit. Hinc etiam fluxit consilium illud & conatus invadendi, & sub jugum Pontificis ac Hispani mittendi Regnum Angliæ, ad quem perficiendum clasſis Hispanica an. 1588. jam ferè ad littora, & portus Anglicanos pervenerat. Quo eventu, notum est, quod ex 158. navibus optimè instructis vix 40. in Hispaniã redierunt. Et fatetur Jesuita Cresuel, ad edictũ Reginæ Angliæ pag. 130. Dei voluntate adversũ illũ belli successũ evenisse, causas etiã fuisse illius cladis aëris inclementiam, incognitionem maris, inexperientiam

 for-

fortaſsis etiam non nullorum hominum negligentiam vel inſcientiam: & forte Deum voluiſse arborem Angliæ infructuoſam adhuc dimittere ad tertium annum Evangelicum, ut videat, num ad frugem meliorem reduci poſsit, antequam ſuccidatur. Et quia ab illo tempore uſq; ad ſecundum Regis moderni annum Jeſuitæ in Anglia optatos fructus colligere non potuerunt; ſed ejusdem Dei Opt. Max. voluntate prohibiti ſunt, conſpirarunt tandem tres Jeſuitæ, Henricus Garnetus Provincialis, Oſvvaldus Teſmonet, & Johannes Gerard. cum aliquot nobilibus ſuæ factionis hominibus, ad perdendum & diſplodendum uno momento ipſum Regem & omnes Regni ordines in comitiis Londinenſibus ſuppoſita & incenſa pulveris tormentarii copia, ut apparet ex Actis publicis Henrici Garneti nuper Londini editis, & ex ipſiusmet Regis Britannorum Edicto, promulgato 15 Ianuarii anno 1606. In quibus expreſſum, *tres iſtos Jeſuitas autores & inventores illius proditoriæ machinationis*: item præcipuos practicantes ſive machinatores fuiſſe.

Præmonuerunt etiam jamdudum Jeſuitæ & publicè conteſtati ſunt, ſe ob hujusmodi detectas punitasq; proditiones à propoſito ſuo nõ deſituros: *Velim ſciatis* (aiunt Ieſuita Campianus & ejus ſocii in concertatione Eccleſiæ Cathol: anno 1583. Treveris excuſa, pag. 21.) *quod ad ſocietatem noſtram attinet, omnes nos, qui per totum orbem longè lateq; diffuſi ſumus, quorum eſt continua ſucceſſio & magnus numerus, ſanctum fœdus iniiſſe, nec quamdiu vel unus noſtrum ſupererit ſtudiis & conſilia noſtra de ſalute veſtra*: hoc eſt, & religionis & regni veſtri everſione, intermiſſuros. Iampridem inita ratio eſt, & inchoatum certamen, nulla vis, nullus Anglorum impetus ſuperabit. Hinc etiam bella illa Belgica, Suecica, Polonica. Hinc nuper motus in Hungaria jam recrudeſcentes. Quibus omnibus, quid turbulenti Jeſuitæ & ipſorum ſocii hactenus profecerint, manifeſtum eſt. Nempe plus Jeſuitica illa conſilia Romanæ Religioni & illi addictis Regibus & ſubditis nocuiſſe, quàm profuiſſe.

APHORISMUS IV.

Extra quam ſi Pontificii metuerint, ne conatus ipſorum irritus futurus & Romano Catholicæ Religioni detrimentum aliquod oborturum eſſet. Hoc enim caſu ad tempus aliquod indulgendum, & commodior oportunitas expectanda. Nonnulli tamen docent: nimis tributum tempori, nunc itaq; omnes Lutheranos & Calvinianos paſsim exterminandos, ne ullum ejusmodi ſemen renaſcatur. Memor. Ligæ tom. 6 pag. 262. & ſeq. Los Jeſuiteh anopent un bref. de ſa ſanctote, qui les diſpenſeit d'obe an temps. Item: qu'il falloit diſsimuler & obeir an Rog. Pour un temps par ſemleſe. Hoc eſt, Jeſuitæ habebant breve Apoſtolicum, in quo per diſpenſationem ipſis permittebatur, ut ſervirent tempori. Item, diſsimulandum & Regi obediendum ad tempus per diſsimulationem.

Petrus Ribadeneira de Principe lib. 1. c. 26. pag. 178.

178. Christiana prudentia docet, dissimulatione utendum, si magna pericula timentur. Martinus Becanus Iesuita Mogunt. de fide hæret. servanda cap. 10 pag. 89. Si Lutherana Religio commodè impediri & profligari non potest, nisi cum majori damno reipublicæ: tunc aliquo tempore tolerari poterit. Et pag. 102. Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debet libertatem Religionis Lutheranæ. Si tamen id facere non potest sine graviori incommodo boni publici, potest eam tolerare ad evitandum majus malum. Iohannes Paulus VVindeck in delib. de hæres. pag 333. Nihil, Nihil in religionis negotiis oportet connivere aut indulgere nisi ubi libertas publica autoritate & validis viribus nititur.

Andreas Philopater alias Cresvvel Iesuita ad Edict. Regis Angliæ pag. 151. Si vires Catholici ad hoc habent idoneas. Sic Henricus Garnetus Iesuita Provincialis Angliæ scripto testatus, & coram tribunali confessus est, PIUM V. & Gregorium XIII. monitos, quod ipsorum Bullæ contra Reginam Elisabetham magnas calamitates Pontificiis conflarent, eosdem hac indulta venia demulserũt, licere omnibus Catholicis, *Externam obedientiam præ se ferre ad vexationem redimendam*, his tamen cautelis & cancellis circumscriptam primo, rebus sic stantibus: secundo donec publica Bullæ executio fieri posset; in Actis Garneti pag. 68. Cresvvel Iesuita in eodem lib. de quo supra pag. 8. Satis jam cessatum est ab innocentum defensione ad placandum hostem

hostem, si fieri potuisset, satis datum tempori, satis tributum spei, quid ni obsistamus tàm sceleratæ Tyrannidi.

Petrus Ribadeneira de Principe lib. 1. cap. 15. pag. 90. & seqq. ubi politicam prudentiam illam Reginæ Scotiæ & Regum Galliæ ac Consiliariorũ graviter accusat, *qui putarunt serviendum tempori*, utiliusq; esse conniventia quadam ac lenitate servare, quàm severa animadversione totum regnum evertere. Et pag. 94. addit, nullum Regem, nullum Principem esse cui hæc politiæ ratio potior visa est, qui non stultitiæ & temeritatis gravissimas dederit pœnas.

Sic Jesuita Ratisbonensis in publica concione, nuper prima Dominica post adventum Commissarii Cæs. Majestatis habita, classicum hoc modo cecinit: Nunc tempus esse, hæreticorum istorum (quos prius expresserat) oppresionem & deletionem maturare: Catholicis jam nec nervum, pecuniam, nec militem, nec consilia deesse.

Sic & in commonefactione ab Episcopis quibusdam anno 1603. Ratisbonæ exhibita Matthiæ Archiduci Austriæ; *Non amplius temporisandum*, sed vitam, sanguinem, & omnes fortunas ad hoc exponendas, ut cogantur Imperii ordines in ipsorum territoriis sita Monasteria Abbatibus & Monachis restituere. Et in hunc finem Catholicorum majorem conjunctionem omnino necessariam esse, extrema omnia tentanda, animos non despondendos: cum & parvæ Catholicorum manus (ait

D VVin-

VVindeck in delib. de hæret. extirpand. Antidoto10. pag. 410.) sæpè ingentes hæreticorum copias trucidaverint & ad internecionem deleverint. Ex eodem scrinio pectoris nuper sub dato 22. Octobris anno 1607. prodiit epistola sive Exhortatio Episcopalis, ad aliquot Pontificiæ religionis Prælatos, quæ sic habet: Maximopere dolendum est, quod inter politicos nostros reperiantur, qui Cæs. Majestati, Electoribus & Principibus persuadere conantur, ob horum temporum difficultatem aliquid connivendum & temporisandum esse, id enim dum à Politicis istis fit, Protestantes commoda sua in Romanæ Religionis detrimentum promovent.

CAPVT TERTIVM.

APHORISMUS I.

QUando subditi Romano Catholici Imperatorem, Regem, sive Principem suum pro Tyranno habendum in Conciliis suis statuerunt, tunc illum abdicare & seipsos omni obligationis nexu solvere possunt: si verò comitia haberi prohibeantur, tum cuivis subdito, modò Jesuitarum aut aliorum hujusmodi Theologorum usus sit consilio, permissum, imò laude dignum & meritorium erit hujusmodi Regem vel Principem occidere: proindeq; rectè fecisse Monachum Jacobum Clementem, quod Heinricum III. Regem Galliæ cultro venenato interfecit, rectè etiam facturum, qui & illius successorem Henricum IV. interimat.

Johan Mariana Jesuita Toletanus de Rege lib. 1. cap. 6. in Mogunt. Edit. pag. 57. à populis sive subditis volentibus Regem Principatu spoliari posse, & ab omni memoria in magna laude fuisse, quicunq; Tyrannos opprimere aggresi sunt: & ostendit rationem abdicandi ejusmodi Principem: Expedita & maximè tuta via est, inquit, si publici conventus facultas detur, ut communi consensu statuatur, quid fixum ratumq; esse debeat. Etsi monitis Princeps non obediat, consilia explicanda, arma expediunda, pecuniæ in belli sumtus subditis imperandæ, Princeps etiam privata autoritate ferro perimendus. Et pag. 60. Si publici conventus facultas sublata erit, tum etiam qui votis publicis favens, Regem sive Principem perimere tentaverit, haud quaquàm iniquè fecisse existimabitur: ac nisi publica vox populi adsit, quæ Regem pro Tyranno habeat, adhibendos esse in consiliũ viros eruditos & graves, (pag. 53. cognita à Theologis, quos erat sciscitatus; & priùs in Jesuitæ Stephani Hoyedæ Visitatoris facultate interimendi, viros doctos & graves, ex eodem nostro ordine) subjicit Mariana præclare præclarè cum rebus humanis ageretur, si multi homines forti pectore invenirentur pro libertate patriæ, vitæ contemtores & salutis, & dolet quod plerosq; incolumitatis cupiditas retineat, magnis sæpè conatibus adversa.

Totus Jesuitarum liber de Henrici III. abdicatione,

tione,editus, durante Jesuitarum rebellione anno 1571. Lugduni apud Johannem Pillchotte S. unionis Gallicanæ Bibliopolam ex præcepto superiorum, in cujus Præfatione additur: Prorsus ut cum hæc communis alterius Heinrici pariter impii Tyranni causa sit, propterea fiat, ut cum de priore juste abdicato dixerimus, de hoc quoq; excludendo, imò conterendo ac prodendo dixisse videri cupiamus; Apologia Castelli Jesuitici discipuli, per totam & maxime in secunda parte. Tales etiam libri à Jesuita Guignardo scripti Lutetiæ in Collegio Jesuitarum, post tentatum à Castello parricidium Heinrici IV. Regis Galliæ inventi sunt, ut ex Actis Parlamenti Parisiensis refertur in Memor. Ligæ tom. 6. p. 256. & seqq. & Jesuita Cresvvel alias Philopater, adversus edicta Reginæ pag. 145. Potestatem Regiam esse Juris civilis: Ergo in arbitrio populi esse, Rex quis sit an non. Defensio Jesuitarum in tom. 6. Memor. Ligæ pag. 281. ubi (ut & à Mariana de Rege p. 59) allegatur ad hoc exemplum And. Jud. 3. Adduntur & Pontificii Doctores, Cajetanus, Dominicus Soto, Thom. Aquin. Sylvest. Fanus Cardinalis Peluæi consilium interceptum à Vivonæo Marchione Pisano Regis Galliæ Legato in Hispania. Monendos Guisian. partium Sacerdotes, ut dum peccata confitentes & ad se accedentes consultores audirent, monerent illos, favendum Lotharingis & Guisianis à Carolo Magno oriundis, à quibus sperandam Romanæ religionis labascentis restaurationem: Hen-

Henricum III. regno dejiciendum, in vindic. sec. lib. pag. 73.

APHORISMUS II.

Sic si subditi Lutheranum sive Calvinianum habeant Regem aut Principem, qui ipsos in hæresin inducere conetur, (ut in Anglia) tunc illi subditi ab omni homagio & obligatione soluti sunt, ipsisq; liberum ac permissum est hujusmodi Regem vel Principem abdicare, exterminare & opprimere.

Sic dictus Henricus Garnetus, Osvvaldus Tesmont, Johan. Gerard. Jesuitæ cum aliis complicibus nuper anno 1605. in Anglia, Regem & ordines regni in comitiis pulvere tormentario displodere & perdere cõspirarunt; ut ex Actis Heinrici Garneti Londini à Regio Typographo editis, apparet; ut & pag. 66. dicitur hanc proditionem Jesuiticam propriè appellari, uti ad Jesuitas ex congruo & condigno spectantem. Hi enim Architecti & Machinatores extiterunt: & in hujusmodi criminibus plus peccare autorem, quam actorem, idq; confirmatur edicto Regis Britanniæ publicato 15. Januarii anno tertio Regis moderni.

Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 7. pag. 1073. & Paulus VVindeck in delib. de Hæres. extirpand. Antidoto 10. pag. 407. alias rationes habet: Tunc, ait, multi fideles cum gentibus conversabantur, quibus Ecclesiæ mansuetudinem commendari expediebet. Ideoq; Christiani infestissi-

 mis

mis hostibus parcebant. Altera hujus mansuetudinis causa, quod metuebant Christiani Episcopi, ne morte hæreticorum patientia Catholicorum obscuraretur. Cunradus Brunus de Hæret. lib. 3. C. ult. num. 13. pag. 309. Non obstat, quod Christus non coegit discipulos recedentes ut redirent: nam Ecclesia in novello germine pullulante, neq; Christus, neq; Apostoli omni potestate uti volebant; quia nondum completa fuerat Prophetia; & adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gẽtes servient ei, Psal. 71. Jam impleta est illa prophetia; meritò igitur Ecclesia jam plenissimè utitur potestate; ut etiam hæreticos redire nolentes & invitos cogat, juxta illud Lucæ 14. compelle intrare.

APHORISMUS III.

Sed & veneno Imperatores, Reges, Principes à subditis vel ministris suis necari posse, si modò Theologi Jesuitæ, viri eruditi & graves illos pro Tyrannis habeant; ita tamen, ut is, quo qui perimendus est, nihil adjuvet, nec sibi ipsi mortem consciscat. Johan. Mariana Jesuita Tolet. de Rege lib. 1. cap. 7. pag. 65. & 67. Quid interest ferro an veneno perimas: veneno, quod sit minori periculo, & majori spe immunitatis fit: hoc tamen temperamento me autore veneno uti licebit, si nõ ipse qui perimitur venenum haurire cogitur, quo concepto, pereat; sed exterius ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo qui perimendus est. Nimirum cum veneni tanta vis est, ut sella eo, aut veste delibuta, vim interficiendi habeat. Et in fine ejusdem capit. pag. 68. concludit, in ejus vitam grassari quacunq; arte concessum, ne cogatur tantùm sciens aut imprudens sibi mortem consciscere. Et ex hac Marianæ doctrina fluxit quod Jesuita Richardus VValpor. socius Marianæ ante annos 11. Anglum Eduardum Squirre veneno instruxit, quod Reginæ Angliæ & esse † non edendum aut bibendum præberet, sed quo sellam tantum inungeret, ut ex ejus contactu uterq; moreretur. Memor. Ligæ tom. 4. pag. 15 & seqq.

APHORISMUS IV.

Papa omnium hæreticorum & infidelium regna, principatus & territoria Catholicis donare potest: & hujusmodi donationes firmæ & validæ sunt.

Franciscus Bozius Eug. de temp. Ecclesiast. Monarchiæ lib. 1. c. 3. & cap. 11. Papa est, per quem Reges regnant; juxta illud: Per me Reges regnant. In c. sollicite 6. de majorit. & obedient. Papa omnia potest facere, quæ DEUS potest. lib. 1. Cerem. Rom. Cur. Sect. 7. pag. 85. Papæ data est omnis potestas in cœlo & in terra: dominatur à mari usq; ad mare, à flumine usq; ad terminos orbis. Platina in vita Gregorii VII. Ut omnes nunc demum intelligant (ait Gregorius) *Nos, Nos impe-*

imperia principatus, & quicquid habere possunt mortales auferre & dare posse.

Sic Julius II. Regem Navarræ, quia Ludovici XII. Gall. Regis partes secutus erat, regno & omnibus fortunis mulctavit, & in Hispanum omne jus regnandi transtulit; Anton. Nebries lib. 1. de Bell. Navarre C. 3.

Hinc fluxit quod Attabaliba Rex Peru dixit: (ut narrant Benzo & Lopez) insigniter fatuum esse oportere Papam: qui, quæ non haberet aliis liberaliter largiretur, vel certe injustum ac impudentem nebulonem, qui ejectis veris possessoribus, alienas terras peregrinis addiceret, in mutuas cædes mortale genus armaret.

CAPUT QUARTUM.

APHORISMUS. I.

JEsuitis aliisq; Catholicis Sacerdotibus liberum permissumq; est, quando ab hæreticis Magistratibus examinantur, æquivocationum deceptionibus: itemq; ementitis nominibus & vestibus uti, & veritatem supprimere, quò commodius se passim insinuare & conatus suos promovere possint. Jesuita Edmundus Campianus in Epist. ad Generalem Societatis anno 83. Treveris excusa pag. 83 & 24. fatetur in Anglia sæpe se commutare nomina, & mentiri habitum. Item in Epist. de persecut. Angliæ pag. 126. 212. 314. mentita nomina pag. 130. mentita veste pag. 126. nomina non rectè profitentur.

In Actis Jesuitæ Henrici Garneti, ut & ejus sociorum Osvvaldi Telmond. Johan. Gerardi & Josephi Cresvvelli aliquot falsa nomina pag. 1 22. 34. & seqq. Item pag. 59. 72. 86. & seqq. Item pag. 97. 101. 107. 108. 133. Sic Jesuita Ratisbonensis Jacobus Keller, autor Philippicæ contra Anonymum Prædicantem, falso nomine Jacobi Sylvani usus est; ut & ejus interpres ac socius Conradus Vetter falso nomine Jacob. Andrea legitimi fratris Jacobi Andreæ.

Sic cum Garnetus Jesuita in Anglia nuper pernegasset, se conscium machinationis cum pulvere tormentario fuisse, ac pro felici ejus successu preces habuisse, mendacii deinde convictus respondit pag. 101. se quidem de prospero magnæ illius actionis eventu preces obtulisse: illud tamen eo animo sensuq; fecisse, quod severiores quasdam leges tum subveritus fuisset.

Et pag. 107. interrogatus à Iudice; an Jesuitam Italum non convenisset, monitusq; ut sine æquivocatione responderet: pertinaciter & animæ salutem testatus, respondit, se cum illo non fuisse; idq; horrendis execrationibus repetiit. Postea verò quàm primum Italus contrarium fassus fuerat, erubuit Garnetus, & misericordiam imploravit, agnovitq; quod deliquisset, *Nisi ipsum æquivocatio tueretur.*

Martinus Navarrus, (cujus doctrinam Gregorius XIII. inconcussam sanctamq; esse attestatur) totum tractatum de æquivocationibus in c. *humanæ aures*. 22. q. 5. in gratiam illustrissimæ (ut ait) Societatis Jesuiticæ scripsit. Et post alia, pag. 352. num. 16. docet etiam, *licitè posse aliquem occultare quod sit Catholicus*.

APHORISMUS II.

Iisdem Iesuitis & aliis Pontificiis est licitum ad Catholicorum Magistratuum interrogationes æquivocare, idq; quod non minus cum Juramento, quam absq; illo, quando nempe interrogatus interrogantem non pro suo competenti Magistratu sive Iudice habet, aut si interrogatus opinetur, competentem Iudicem non habere, legitimam interrogandi, aut adversarium non habere justam litigandi causam. Sic Martinus Navarrus Azpilcueta in d. c. *humanæ aures* 22. q. 5. pag 348. post Angalum de Perusio, & Iohan. ab Auuma refert, & probat æquivocationem S. Francisci, qui interrogatus à lictoribus homicidam (Iesuita Sylvanus in Philippica sua pag. 5. pro homicida furem supponit) persequentibus: an illac, ubi S. Franciscus erat, talis homicida transijsset: immissis manibus intra manicas, respondit; hac non transisse: subintelligendo tacitè contra communem intelligentiam, non transisse per illas manicas. Et addit Azpilcueta, hanc Doctrinam de *æquivocationibus* fundari in illo insigni facto Magni illius Patriarchæ Francisci, cui similis est illa, quam habet glossa in C. Ne quis can. 22. q. 2. quam & receptam, Azpilcueta dicit, & uti justam responsionem laudat ibidem Navarrus ex Thoma; quod reus interrogatus de crimine à Iudice non procedente Iuridicè non teneatur fateri veritatem, sed posit uti æquivocatione, subintelligendo aliquid aliud quàm verba sonant. Imò & qui respondet Iudici, sive sine, vel sub juramento, potest uti Amphibologia, sive illa contingat ex diversa verbi significatione, sive ex diversa intentione interrogantis & respondentis & licet falsum sit, secundum mentem interrogantis.

Idem Navarr. pag. 351. Etiam Magistratui vel Iudici injustè interroganti vel adjuranti, non tenetur quis secundum suam intentionem respondere. Sic & testem instruit Navarrus ut dicat, se nihil scire, subintelligendo intra se, NIHIL, quod dicere teneatur. Ibidem etiam instruit litigantes qui jubentur jurare de calumnia, Veritate etc. Ut si non ordinatè vel justè à Iudice jubeantur, possint negare vel affirmare secundum propriam mentem curando, non de illa quam Iudex habet.

Ibid. Navarrus; sic quidem Monarcha cum primis maximus nunquam mentitus est, ut ut verbis vel factis responderit, subintelligendo semper aliud secundum suam intentionem. Quia enim

 non

non agnoscebat superiorem, non tenebatur respondere.

Sic Toletus Iesuita & Cardinalis Instruct. Sacerd. lib. 4. c. 21. Si quis à superiore interrogetur juratus, tunc si justè interrogetur, tenetur respondere absq; æquivocatione, & respondere non secundum Iudicis mentem, sed secundùm propriã. Etsi crimen omnino occultum est, de quo quis interrogatur, tùm æquivocatione uti poterit respõdendo NESCIO, intelligendo tamen intra se, *ut dicam tibi*, vel respondendo *Non feci*, vel quid simile, & sic interrogatum, an ex tali civitate veniat (de qua nempe communis fama est, quod peste infecta sit) posse tamen respondere *Quod non*: licet inde veniat, quia nempe tacitum intellectum hunc in sua mente habeat, quod civitas illa non sit infecta, aut quod ipse nõ sit infectus, licet civitas infecta sit, quia nempe non facit contra præcipuam intentionem custodum. Idem habet & Navarrus in d. c. hum. pag. 348. Similia docent Iesuitæ Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 5. q. 13. de Reo punct. 1. & 2. Heinricus Garnetus in Actis Garneti pag. 97. pag. 107.

APHORISMUS III.

Catholicos quosvis etiam non teneri privatis Catholicis ad mentem respondere, sed æquivocare, & interrogantes decipere posse. Martinus Navarrus, Azpil. ubi supra pag. 351. per hanc doctrinam æquivocationis innumera mendacia & peccata evitari possunt, si semper respondeatur cum aliqua subintellectione; ut si interrogemur, *quo vadimus, quantam pecuniam habemus, mutavimus, donavimus, quid scripsimus, quid nobis ille aut ille dixerit, & sexcenta alia*. Omnibus illis absq; peccato respondere, *non*, posse, subintelligendo, *aliqua*. Ut si quis petenti pecuniam, librum, respondeat, *Non habeo*, licet habeat, subintelligendo tamen, *ita non habeo, ut tenerer præstare, vel ut tenear tibi dicere, manifestare, vel ut dicam tibi*: Iesuita Iacobus Sylvanus, alias Iacob Keller in Philippica contra Anonymum Prædicantem pag. 5. Æquivocatione uti & audientem decipere licet, quando qui interrogat non est superior ut Iudex, anne ait, ego obligatus sum cuiq; roganti respondere ad mentem: quis me omnium debitorem fecit.

APHORISMUS IV.

Hanc æquivocationem utilem esse artem & bonam Prudentiam, ideoq; Martinum Navarrum Azpilcuetam in vita Navarri operibus ejus præmissa. (de quo Gregorius XIII. attestatur, ejus doctrinam inconcussam sanctamq; esse, de quo & Iesuita Horatius Tursellinus in vita Xaverii ait, fuisse hominem cùm probitate, tùm doctrina inclytum) sibi ipsi gratulatur & de se jactat, se maximo cum primis Principi usum illius apophthegmatis (*Qui nescit dissimulare, nescit & regnare*) commendasse & istam doctrinam Principi illi profuisse. Martin.

 Navarr.

Navarr. Azpil. in d. c. *humana*. pag. 352. ſe maximo cum primis Principi abhorrenti à diſsimulationibus & ab illo apophthegmate: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*; non ſine fructu reſpondiſſe, bonam & utilem hanc ſimulandi artem eſſe; & ante pag. 394. ex Thoma prudentiam & virtutem appellavit pag. 351. bonam prudentiam, & hac qui utuntur laudandos eſſe Gregor. Valent. Ieſuita tom. 3 diſp. 5. q. 13. de Reo. pun. 2. prudentem defenſionem vocat. Quando REUS juridicè non interrogatur, mendacium dicere non poteſt; poteſt tamen per aliquos modos convenientes, ita ſe defēdere, ut non reſpondeat ad ea, ad quæ non tenetur, ſed CELET VERITATEM: neq; hoc erit calumuioſè ſe defendere, ſed PRUDENTER. pag. 1397.

FINIS.